



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

8. Qualis retentio librorum hæreticorum prohibeatur in Bullâ Cænæ
Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

Et sic patet ad 1. quòd illa verba cum exprimant finem extrinsecum, non restringunt facultatem, sed dirigunt usum facultatis.

Ad exemplum de famulo, Resp. disparitatem esse in ipso opere: eleemosyna enim per se respicit pauperes, pro quorum necessitate levanda expressè datur, ac proinde invalidè aliis rebus impenditur, Facultas autem legendi libros prohibitos non involvit intrinsecè conversionem, aut confutationem errorum hæreticorum.

ARTICULUS VIII.

Qualis retentio librorum hæreticorum prohibeatur in Bulla Cœna Domini.

Certum est incurri censuram Bullæ Cœnæ, si quis hæreticorum libros retineat, sive apud se sive apud alios; sive nomine suo, sive alieno; sive ut ipse legat, sive ut bibliothecam suam exornet. Licet etiam ut hæreticorum errores confutet, quando non habet licentiam. Tametsi retinens non intelligat idioma, quo tales libri conscripti sunt, quia finis prohibitionis est odium hæresis, ut facilius ipsorum libri exterminentur, præterquam quod faciliè venire possent ad manus

nus intelligentium linguam , quando sic retinentur, & sic aliqui perverti.

Igitur solùm inquirendum restat de tempore retentionis , ut hæc censura incurratur ; an pauci dies sufficiant.

Resp. Quòd hoc fieri possit vel animo tradendi primâ occasione Episcopo , vel cui tradendi sunt ; vel animo absolutè retinendi. Primo modo non peccatur quidem nisi permittat præterire tempus quo commodè posset tradere ; & ita si virtualiter censeatur, quod verè non intendat tradere, censura incurritur. Si autem habuerit animum absolutè retinendi , & non tradendi, sed tamen ita ut statim postea resipiscat & animum mutet, censet Suarez disp. 20. sect. 1. n. 22. quod etiam sic incurretur , tamen si post horam pœniteat , quia, inquit, peccatum non in mora, sed in voluntate consistit, & in unico momento committitur. Contrarium tamen dicendum quantum ad censuram, gravitas enim exterioris retentionis non à sola voluntate , sed etiam à mora temporis dependet. Unde levis iudicabitur ad effectum inducendæ Excommunicationis. Licet enim in ratione peccati gravitatem maximè habeat à voluntate , in ordine tamen ad censuram requiritur executio externæ voluntatis , & cum hæc levis sit, si statim inchoatæ retentionis pœniteat, non erit sufficiens ad censuram.

Dices : Per unicum actum brevissimum hæresis incurritur excommunicatio ; ergo

non
rend
R
nife
tion
hære
habe
lâ, va
cum
displ
sup. r
merc
Q
eò qu
libro
nere,
gata
2.
occa
niat
3.
non p
gend
natio
tiam
piravi
dis lib
nant i
in sua
nus vo
prohib

non requiritur mora temporis ad illam incur-
rendam.

Resp. Unicum actum hæresis externè ma-
nifestatum, ideo sufficere ad Excommunica-
tionem, quia in illo unico actu tota malitia
hæresis completur. Retentio autem hoc non
habet, quia in ordine ad finem intentum à Bul-
lâ, valde parum facit brevissima retentio, etiam
cum voluntate diu retinendi, dummodo statim
displiceat. Ita nobiscum sentit Sanchez ubi
sup. n. 55 Bonac. disp. 2. de Cens. q. 5. p. 4. nu-
mero. 15. Loth & alij.

Qui expectat licentiam legendi tales libros
eò quod prior licentia expiravit, potest penes se
libros hæreticos quos habebat, tantisper reti-
nere, donec novam licentiam acceperit aut ne-
gata sit, si quamprimum responsum expectetur.

2. Qui paratus est tradere, expectare potest
occasionem ut tradat, dummodo non interve-
niat longum tempus.

3. Tradi possunt tales libri quando retineri
non possunt, alicui habenti licentiam illos le-
gendi, non tantum per venditionem aut do-
nationem, sed pro conservatione donec licen-
tiam legendi impetret. Religiosi postquam ex-
piravit licentia quam habebant pro legen-
dis libris hæreticis, satisfaciunt si illos repo-
nant in loco sequestrato quem habere solent
in sua communi Bibliotheca, quia ab ipsis Infer-
nus vocatur, in quo concluduntur omnes libri
prohibiti. Nec tunc opus est tradere Ordinario.

Per hoc enim sufficienter satisficit fini & intentioni Pontificis, ne libri illi veniant ad manus illorum quibus non est licitum ipsos legere, & si permittatur monasteriis (uti in omnibus fit) conservare in isto loco, qui Infernus dicitur, alios libros hæreticos, non est ratio cur non reponantur etiam illi quos aliquis Religiosus ad usum habuit. Imo non video quid obstat cur non satisfaciat etiam persona non Religiosa, si libros hæreticos & alios prohibitos quos habet ibi reponat.

ARTICULUS IX.

*Quinam sint defendentes, qui in Bullæ
Cæna exprimuntur.*

Certum est illos censuris Bullæ involvi, quomolibet, ex quavis causa, publicè vel occultè, & quovis colore libros hæreticos hæreses continentes, aut de Religione tractantes defendunt, quia hoc satis in ipsa Bullâ exprimitur. Comprehenduntur ergo illi qui dicunt illos malè prohiberi, & qui impediunt ne ad manus Inquisitorum, aut Ordinariorum reponantur, aut saltem ne tradantur locis sequestratis in Bibliothecis Religiosorum. Et multò magis qui talium librorum fundamenta approbant.